

ORIGO GENTIS ROMANAЕ

a Iano et Saturno conditoribus, per succedentes sibimet reges,
usque ad consulatum decimum Constantii, digesta ex auctori-
bus Verrio Flacco, Antiate (ut quidem idem Verrius maluit
5 dicere, quam Antia), tum ex annalibus pontificum, dein Cincio,
Egnatio, Veratio, Fabio Pictore, Licinio Macro, Varrone, Cae-
sare, Tuberone, atque ex omni priscorum historia; proinde ut
quisque neotericorum asseveravit, hoc est et Livius et Victor Afer.

Primus in Italiā creditur venisse Saturnus; ut 1
10 etiam Maronis Musa testatur illis versibus:

*Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens, cet.*

Aen.
8, 319

Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum 2
traditur fuisse simplicitas, ut venientes ad se advenas,
15 qui modo consilio ac sapientia praediti ad instruen-
dam vitam formandosque mores aliquid conferrent,
quod eorum parentes atque originem ignorabant, caelo
et terra editos non solum ipsi crederent, verum etiam
02 posteris affirmarent, veluti hunc ipsum Saturnum, quem
20 Caeli et Terrae filium esse dixerunt. Quod cum ita 3
existimetur, certum tamen est priorem Ianum in Ita-
liā devenisse ab eoque postea venientem exceptum
esse Saturnum. Unde intelligendum est Vergilium 4
quoque non ignoratione veteris historiae, sed suo